



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Theologōn diaphorōn syngrammata palaia kai orthodoxa

**Gessner, Conrad**

**Tiguri, 1560**

**VD16 G 1810**

De Concilio Constantinopolitani in Trullo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

Contra uerò qui Sardicæ conuenerant, primum horum damnauerunt uestianiam, deinde Athanasij accusatores dignitate priuarunt, & fidem Nicenam confirmarunt, edita fidei expositione quæ apud Athanasium, & Hilarium, & in ecclesiastica historia extat.

## DE CONCILIO CARTHAGINENSI.

Carthagine plura concilia conuocata fuerunt, hoc autem quod hic primo loco ponitur, plerique sextum Carthaginense concilium nominant. Conati sunt in hoc concilio Romani pont. Zosimus, & Bonifacius sibi asserere primatum & imperium in omnes ecclesias, & canonem quendam concilij Sardicensis pro Niceno protulerunt, uerum ipsorum dolus ab Afris episcopis deprehensus & eorum tyrannis repudiata est. Adduntur huic concilio etiam alia Afrorum concilia, quorum tempus, & locus singulis adscribitur.

## DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO

in Trullo.

Constantinopoli sub Iustiniano. I. Synodus conuocata est quam Quintam Oecumenicam nominant Mena & deinde Eutychio episcopis Constantinopolitanis, Vigilio Romano, in hac Theodorus Ascidas Cæsareæ episcopus, damnatus est, & cum eo etiam alij qui Origenis praua dogmata sectabantur. Deinde sub Constantino Pogonato, anno imperij eius duodecimo, alia synodus conuocata est, quæ sexta synodus nominatur, damnata est in hac synodo Monothelitarum hæresis, qui Eutychianum errorem aliorum nomine & titulo reuocantes, unicam solummodo in Christo uoluntatem, & operationem statuiebant. Annis deinde 27 post ut Theophanes Græcus auctor docet hoc est anno secundo Iustiniani iunioris postquam is denuo in imperium restitutus est, synodus Constantinopoli conuocata est in Trullo regio Palatio. Hæc synodus à quibusdam *πρωτῆς ἐκτῆς* nominatur, propterea quod ea quæ quinta & sexta synodo deeerant, suppleuerit, nam in illis synodis nulli canones editi fuerunt.

## DE CONCILIO NICENO SECUNDO.

Anno Domini 754 Constantinus Copronymus synodo Constantinopolim conuocata usum imaginum in templis damnauit, easque à templis eiecit, & hanc synodum septimam uniuersalem haberi & nominari uoluit. Verum 35 annis post hanc synodum, Ireneus uxor, post ipsius obitum cum filio Constantino aliam synodum Nicææ conuocauit per quam imagines denuo approbatæ & in templa repositæ sunt. Hæc synodus septimam, & Nicenam secundam nominant.

## DE IGNATIO.

Ignatius Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum episcopus commouente persecutionem Traiano, damnatus ad bestias Romam uinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam uenisset, ubi Polycarpus, auditor Ioannis episcopus erat, scripsit unam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallienfes, quartam ad Romanos, & inde egrediens scripsit ad Philadelphæos, & ad Smyrnæos, & proprie ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem ecclesiam, in qua & de euangelio quod nuper à me translatum est super persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego uero & per resurrectionem in carne eum uidi, & credo quia sit. Et quoniam uenit ad petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis, Ecce palpate me, & uidete quia non sum dæmonium corporale. Et statim tetigerunt eum & crediderunt. Dignum autem uidetur, quia tanti uiri fecimus mentionem, & de epistola eius quam ad Romanos scribit pauca ponere. De Syria usque ad Romam pugno ad bestias, in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem Leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt, quibus & cum benefeceris peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Utinam fruatur bestijs quæ mihi sunt præparata